



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

19 Obligatio antidotalis, quando locum habeat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

tract. de red. eccles. quest. 1. mon. 19. n. 1. 18

Ratio autem differentiae, quod redditus beneficiorum cadunt sub spolio, non autem quaesita ratione ordinis clericalis, ea est, quod bona beneficiorum habent onus dandi superflua pauperibus, & ratione ordinis quaesita tribuuntur eis sine villo onere. Navar. *eod. mon. 19. in fin.* sunt namque eorum propria, ut inquit B. Thom. 2. 2. *quest. 185. art. 7.* & post Oldr. & alios plures citatos Pagn. *super Direct. Inquisitor. par. 3. lib. 3. Schol. 154. §. postremo quaedam.*

16 Quinto, quod beneficiati de his, quae de suo honesto victu parcius vivendo serviant, licite disponere possunt, quia commodo sua quasi industria, & labore quaesita censentur patrimonialia, quae propterea in spolio venire non possunt, ut sentit, S. Thom. 2. 2. *quest. 185. art. 7.* Major in 4. *dist. 24. quest. 17.* probant Adria. in 4. *de rest. quest. 12.* & Sot. *lib. 50. quest. 4. art. 3. de just. & jur.* quos sequitur a probando, tenendo, & firmando, dictam conclusionem Navar. *d. tract. de redd. eccles. mon. 36. numer. 2. tom. 1.*

17 Sexto, quod quaesita, alios litteras docendo publice, vel private legendo (dummodo sine praedictis residentiae, quo ad beneficiatos obligatos ad residentiam personalem) quae dicuntur etiam quasi patrimonialia, & praesertim, si ob tenuitatem beneficiorum, ac necessitatem, vel inopiam insurgentem haec officia exercentur, l. *legatis, §. si ex officio,* & ibi gloss. in ver. *officium,* & Bart. *numer. 2. de leg. 3.* & Innocentius in cap. *cum in officis, numer. 4. de testam.* quia ex legitimo artificio quaesita dicuntur, d. *cap. relatum, §. ceterum, cum aliis supra allegatis.*

Septimo, quod donata in vita saltem, quae juste donantur, loco eorum, quae de proprio pro expeditione Bullarum Episcopatuuum, vel aliorum beneficiorum; & in paramentis ecclesiasticis, ac mobilibus, in paranda domo ante fructuum beneficiorum perceptionem exponuntur, quae proculdubio exposita non fuerunt ex redditibus ecclesiasticis, & tunc loco eorum, quae ecclesiae acquiruntur, ac sub spolio cadunt, beneficiarius poterit tantundem tuta conscientia, & legitime in vita donare, cap. *injustum, §. item, & cap. seq. 12. quest. 2.* Navar. *eod. com. de spol. cleric. §. 6. numer. 2. ante vers. tertio noto.* & titul. *de reddit. eccles. quest. 1. mon. 27. numer. 3. circa fin.* eademque ratione, titulo donationis possunt legitime sacerdotes fratribus, aut aliis consanguineis rusticis, aut aliis pauperibus donare, qui (ut ferè fit) labore, sudore industria, ac expensis fratrum, vel parentum rusticorum laborantium in scholis ad ediscendum, quod donec ordinem sacerdotalem suscipiant, manentur, quia ad attendenda sunt obligati, & donant ad extinctionem debiti praecedentis.

Octavo, quod nullum spolium camerae fieri, nec quidemquam a quibusvis spoliatorum camerae collectoribus, vel subcollectoribus exigi, vel percipi potest per obitum eorum, qui dum viverent, unum, vel plura beneficia ecclesiastica obtinebant, cujus vel quorum omnium fructus, redditus, & proventus, una computati triginta ducatorum auri de camera, secundum communem aestimationem, valorem annum non excedebant, aut, qui pensiones annuas super quibusvis fructibus ecclesiasticis usque ad dictum valorem annuatim, & non ultra, perceperint, ut in d. *constit.*